



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

35. An Confessarius, qui in confessionario, vel in alio loco, sub pretextu confessionis, non tamen confessionis sequutæ, sollicitavit fæminam, sit denunciandus? Et explanatur, quod lex pœnalis non est ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

4. Nota verò quod post hæc scripta inveni Fagundes in *editione novissima*, ubi *supra* n. 83. suum iudicium circa præcedentem quæstionem præxi Sancti Tribunalis subijcere.

RESOL. XXXIII.

An si Confessarius post sollicitationem statim pœniteat se sollicitasse, sit denunciandus? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 22.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Antonius Sanctarellus *tr. de heresi, cap. 44. dub. unic. num. 18.* ubi sic ait: Incurret has pœnas Confessarius si in actu confessionis sollicitet fœminam, licet statim pœniteat se sollicitasse, nam quod factum est, nequit non fieri, *in bello, §. facta, ff. de capt. & postlim. rever.* quod est verum, etiam si ex magna animi perturbatione & vehementi passione fuerit motus ad huiusmodi sollicitationem. Ita ille, & post illum Martinus Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 4.* ubi ita asserit. Adde extare obligationem denunciandi Confessarium sollicitantem etiam si Confessarius statim pœniteat sollicitasse pœnitentem, & ratio huius opinionis fundatur in alia opinione asserente Confessarium emendatum esse denunciandum. Sed dato, & non concessio, quod Confessarius emendatus non sit denunciandus, tamen adhuc in casu, de quo loquimur, magna prudentia opus est nam quilibet Confessarius sollicitans ad effugiendam denunciationem potest dicere se pœnituisse de sollicitatione facta. Unde regulariter puro esse supradictos Confessarios denunciandos.

RESOL. XXXIV.

An quando Confessarius cum verbis, vel signis dubiis, obscuris, ambiguis, nutibus, vel tactibus sollicitavit, teneatur pœnitens illum denunciare? Ex p. 4. tract. 5. Ref. 25.

Sup. hoc sup. §. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 54.* ubi sic asserit. Mulier, cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre, & stante dicto dubio possunt Inquisitores vocare Confessarium, & illum interrogare de intentione, qua verba illa, vel signa ambigua protulit. Ita ille, quod etiam antea docuerat *in opuscul. Confess. sollicit. cit. tract. 2. cap. 4. num. 16.* & ratio tenentis in hac est, quia Inquisitores possunt circa factum, aut verbum dubium Confessarium interrogare, ergo prædicta verba, vel facta Inquisitoribus denuncianda sunt, ut ipsi cognoscant, & examinent an sollicitationes sint. Probatur antecedens, quia cum Inquisitores possint procedere in hoc crimen, & ut constet, an commissum sit, necessariò sit exploranda mens ipsius Confessarii, quod nisi ipsemet explicet, fieri non potest; sequitur necessariò quod possint ipsum vocare, & interrogare, alias enim frustra daretur in hoc crimen eis iurisdictio, sed quando hoc fieri expediat, diligenter advertant Inquisitores. Et ita hanc sententiam præter Soulam locis citatis docet etiam Peyrinus *in privileg. Minor. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. num. 21.* ubi sic ait: Mulieres si non solum verbis claris, sed etiam tacitis, seu obscuris, & ambignis, seu etiam nutibus vel tactibus fuerint à Confessariis sollicitatæ, debent eos Inquisitoribus denunciare. Ita ille.

RESOL. XXXV.

An Confessarius, qui in Confessionario, vel in alio loco sub pretextu confessionis, non tamen confessionis sequitur, sollicitavit fœminam, sit denunciandus? Et explanatur, quod lex penalit non est extendenda de casu ad casum, & in casibus referatis ut pote penalis strictam esse faciendam interpretationem, ideo concubitus in fœmina in vase præpostero non esse peccatum, & casum reservatum peccati nefandi, quod non est propriè sodomia: & Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito non incurere pœnas Extrav. Pij V. Ex p. 1. tr. 4. Ref. 13.

§. 1. **N**egativè respondet Portell. *in addit. ad dubia sup. hanc regul. verb. sollicitare fœminam, num. 12.* quia in dicto non sollicitavit in Sacramento, sive intra Sacramentum; & lex penalit, ut *supra* diximus, non est extendenda ad casum non expressum, ut moliti asserunt apud Sanchez *tom. 3. lib. 10. disp. 4. num. 23.* & Rodriguez *99. regul. tom. 1. §. 47. art. 1.* & ideo in casibus referatis, utpote pœnalibus, strictam esse faciendam interpretationem, in praxi semper docuit, cum Homobono de Bonis de *cas. reserv. par. 1. cap. 2. Chapavilla de cas. reserv. cap. 6. §. 1.* Coriolano de *cas. reserv. p. 1. sect. 1. art. 5. num. 4.* Naldo *in summa, verb. casus, num. 3.* Bonacina de *matrim. disp. 4. punct. 11. num. 5.* & de Sacram. *77. articulo disp. 5. quest. 7. punct. 5. §. 3. num. 1.* Reginaldo *in praxi tom. 1. cap. 11. lib. 1. sect. 1. num. 127.* unde asserit Floronus de *cas. reserv. par. 2. cas. 7. num. 6.* Summa Cornea de *cas. reserv. par. 2. cas. 7. num. 6.* Bonacina ubi *supra* de *matrim. & cas. 7. articulo alij probabiliter, concubitus cum fœmina in vase præpostero non esse casum reservatum nefandi: quia non est propriè sodomia; & cum simus in pœnalibus, ratio in hoc lex non est extendenda: & ideo notavit Azorius *p. 3. tract. 1. lib. 3. cap. 19. §. 3.* non incurtere in pœnas Extravag. Pij V. Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito.*

2. Sed his minimè suffragantibus, hodie hæc opinio non est tenenda: quia, ut notat Scorcia *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.* Veneris *in exam. Episc. lib. 5. cap. 17. num. 9.* Bellocchius de *cas. reserv. p. 2. quest. 9. n. 1.* Gregor. XV. in sua Bulla declaravit, dictum Sacerdotem esse denunciandum in illis verbis: *Qui præceperit concubitus in fœmina sollicitaverit: & ita habent Edit. etiam Dominorum Inquisitorum.* Et hoc etiam ante dictam Bullam docuerat Rodericus Acugna *in tr. de Confess. sollicit. q. 15. per tot.*

RESOL. XXXVI.

An sit denunciandus Confessarius, qui sedens in confessionario, & loquens cum penitente stante, vel sedente ante Confessionarium illum sollicitat? Et an hoc procedat, si Confessor in subtelis Ecclesiæ, in quibus etiam saculares sedere solent, non in confessionario sollicitet; tamen aliquando in eisdem subtelis, & cammis confessiones suscipiat? Ex p. 4. tract. 5. Ref. 38.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & affirmative videtur respondendum, ex decreto Pauli V. quod asserit Coriolanus de *cas. reserv. par. 1. sect. 2. art. 22. num. 4.* & Peyrinus de *privileg. Minor. tom. 2. constitut. 4. Greg. XV. §. 5. num. 15.* cuius tenor est hic. Feria 5. die 10. Iulii 1614. in Generali Congregatione Sanct. Rom. & univer. Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram SS. D.N.